Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

80

longobardiamque sibi subiugans ad urbem pergit. Ibique a Iohanne papa omnique populo augusti et imperatoris nomen sortitur LXXV ab augusto. Ea tempestate northmanni Lodewici regnum per Wal fluvium ingressi navigio Magontiense palatium concremant ac inde per cetera quaque diffusi Coloniam, Bunnam, Aquisgrani cum adiacentibus regionibus, vicis et castellis vastant. Interea Lodewicus rex Franchenvurt diem obiit et in monasterio Laureacensi iuxta patrem humatur. Northmanni morte regis comperta securi facti nobilissimam urbem Treverim Galliae a Iulio quondam Cesare subactam in ipsa cena Domini irrumpunt ac ibi usque in pascha morantes tam ipsam quam adiacentem regionem igne consumunt. Quibus dum prefatae urbis antistes cum Bertholfo comite occurrit, bello conserto vita privatur, ceterique in fugam vertuntur. Northmanni preda Francorum ditati ad classem redeunt. Haec dum in Gallis geruntur, Karolus imperator in Italia morabatur. Principes quoque omnes tam Galliae quam Germaniae precibus eum pulsant, quatenus ad suscipiendum paternum regnum fratre mortuo redeat patriamque ab incursione hostium conservet. Qui vix moratus rediit, assumptis Longobardis, Saxonibus, Baioariis, Fresonibus, Alemannis, Turingis aliisque compluribus contra Northmannos qui adhuc in regione morabantur procinctum movet. Itaque Gotfridum Northmannorum ducem data sibi filia Lotharii Gysila cum Fresia provincia christianum fecit eumque de sacro fonte suscepit et sic cum regni finibus cum suis cedere persuadet. Anno sequenti Lodewicus Karoli regis nati filius moriens ac in monasterio sancti Dyonisii humatus fratrem suum Karlomannum regni heredem reliquit. Hic inter cetera virtutis opera hoc quoque memorabile fecit, quod in bello quodam VIII milia Northmannorum fudit. Non multo post Karlomannus in venatu apro percussus diem obiit. Occidentales quoque Franci principibus amissis Karolum imperatorem, qui tunc solus de stirpe Karulorum superesse videbatur, eo veniente ultro subiciuntur. Unde multa ac varia cum Northmannis GESSIT PROELIA. VIIII.

Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXVII Karolus imperator cum corpore et animo egrotare cepisset, principes regni apud Triburias transitum sancti Martini Arnolfum Karlomanni filium ad regnum trahunt. Sicque mirum dictu imperatorem, qui post Karolum magnum inter omnes Francorum reges maxime fuit potestatis, in brevi ad tantam tenuitatem devenisse cerneres, ut pauperis quoque egens, ab Arnolfo iam rege facto stipendia miserabiliter exigeret ac ab ipso paucos fiscos in Alemannia concessos

Boum pestilentia magna contigit. [illegible] canes cadavera [illegible] comite [illegible] quadam die universi in [illegible] congregati [illegible] ita in aliis [illegible] neque vivus neque mortuus inveniri potuisset